

Alte Drucke

Liber Quartus Psalmorum, In Quo Grande illud de Redemptione totius Adami, rerumque omnium ejus gratiâ Restitutione, Mysterium, hactenus Mundo ...

Serrurier, Pierre

Amsterodami, 1668

Psalm. XCI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:obv:ha33-1-173812

& multo cum desiderio ad hunc diem anhelarunt) de Misericordia DEI plenè faturabitur; adeò ut ab illo tempore omnibus diebus sint lataturi, & gaudio ineffabili fruituri. Imò, quò plus afflictionis & doloris fuerint perpeffi, eò majus erit gaudium ipsorum. Et si Dies hi tribulationum jam à destructione Urbis Sanctæ ultimà, non minus quam per mille & sexcentos duraverunt annos; Dies verò à Decem Tribuum abductione per plus quam bis Mille & quadringentos Annos, in quibus Populus DEI, illi servi Domini, tam multa perpeffi sunt, seu viderunt Mala; Quis nobis dicet, quot annis, vel quot diebus duratura erit Consolatio & gaudium illorum, & quàm grandia & ineffabilia videbunt Bona?

Ubi antè hominum opus in eis conspiciebatur, imò & vitia & infidelitates eorum in Filiis suis; ibi tunc opus DEI in eis conspicietur, & gloria ejus in Filiis eorum. Et ubi antea Severitas & Castigatio Domini DEI sui super eos erant; ibi tum Decor Domini, id est, Amor & Benignitas Domini super eos relucebunt: unde deinceps Opus manuum suarum, velut ex DEO & in DEO operatum, in æternum perstiturum erit, absque eo ut unquam turbetur, mutetur aut evertatur, prout olim, quatenus à DEO ipso jam & perficietur & in sua perfectione perpetuè conservabitur. Sequitur

P S A L M. XCI.

S E U

Secundus MOSES Psalmus, ad Canticum suum de Magno Sabbatho præparatorius, qui est Descriptio quædam Felicitatis illius Homini, qui jam per veram Contritionem ad DEUM conversus, iterum in DEO (seu apud DEUM) mansionem suam nactus est.

1. **S**Ub chypeo alarum Domini quicumque moratur,
Cuique DEUS factus Mansio prisca fuit;
2. Dicere fas illi JOVÆ: Tu prima salutis
Spes mihi, Tu requies, Tu mihi robur eris.
In Te tota mei jacta est fiducia Cordis,
Te Duce, prævalida sicut in Arce moror.
3. Hoc Duce de Laqueo vitam venantis abibis
Tutus, & è pœnis, vindice, Liber eris.

4. Is

4. *Is te ceu propriis securum conteget alis,
Obnubet vultus illius Umbra tuos.*
5. *Hujus enim Pietas immensa, & Cura fidelis
Talis erit Menti Spirituique tuo,
Ut neque nocturnos possis metuisse pavores,
Quæque volant claro noxia tela Die.*
6. *Non etiam obscuro grassantem nomine Pestem,
Non Mala quæ mediâ Luce venire solent.*
7. *Millia multa tuæ sternentur fulmine Dextra,
Et tua Letho animas mille Sinistra dabit.
Non tamen ulla tibi feret hæc Incommoda clades,
Nulla nocere manus quæ tibi possit, erit.*
8. *Tu verò aspicias quas Turba dat impia pœnas,
Visaque res oculis lata erit ista tuis.*
9. *Me quia duxisti pro spe tibi, proque salute,
Et quia dixisti, Mansio JOVA mea est;*
10. *Quisquis es, hunc summum cùm sis tibi nactus Asylum,
Omnia, crede mihi, per mala tutus eris:
Non Pestis metuenda tibi, non ulla profectò
Quæ veniet Domui proxima Plaga tuæ.*
11. *Mandatum Angelicis de Te dabit ille Ministris,
Ut sint Custodes per loca cuncta tibi.*
12. *Ut Te sustollant manibus, quocunque feraris,
Ne extremos ledas per salebrosa pedes.*
13. *Aspide somniferum super, & virtute Leonem
Prævalida fultum, Victor habebit iter:
Tu potes indomitos catulos calcare Leonum,
Te contr'à ignivomo nil valet ore Draco.*
14. *Me siquidem (DEUS inquit) amat, bona largiar illi
Omnia, ut expediens per mala Victor eat.
Nam quia cognovit, quâ sim Pietate, quibusque
Viribus; haud ullis viribus ille cadet.*

15. Me-

15. *Me vocat ille, mihi libet exaudire vocantem,
 Robur in adversis sentiet ille meum
 Cuncta mala avertens ab eo, bona cuncta tuebor
 Ipsius : hinc Nomen glorificabo meum.
 Hunc ego longævus faciam superesse per Annos,
 Illi plena mee Vita salutis erit.*

Hic Psalmus, quum titulum proprium non habeat, ad præcedentem pertinet, adeoque & MOSIS, Viri DEI, Psalmus quoque est, quo nobis expresso exprimit, non quidem Consilium DEI erga prolapsam hominem, & ejusdem Hominis supplicem pro restitutione Orationem; quemadmodum fecit in præcedente Psalmo: sed quod heic exprimitur, est Beata istius hominis Conditio, qui jam reverà restitutus dici potest; quique per viam Contritionis ad DEUM conversus, in eo Mansionem & fixam sedem iterum obtinuit. Huc spectat totus hic Psalmus, in quo tria potissimum distinguenda veniunt.

- I. Descriptio hujus beatae Hominis Conditionis. vers. 1, 2.
 II. Quæ huic Viro Præclara promittuntur. vers. 3, 4 --- 9.
 III. Ratio, cur Deo adeò cordi sit. vers. 9, 10, 11, &c.

I. Quod Primum attinet, nempe Conditionem hominis heic descriptam, hoc habetur his verbis.

Vers. 1. *Qui habitat in abscondito Altissimi, ille in Umbrâ Omnipotentis commoratur.* 2. *Dicens JEHOVÂ, Tu es Refugium meum, Arx mea, Deus meus in quo spero.*

Ubi conditio hæc Hominis bifariam describitur, 1. in se-ipsa, cum dicitur *Qui habitat in abscondito Altissimi.* 2. In duabus prærogativis huic conditioni seu statui attributis; quarum prior est, quod iste Vir *In Umbrâ Omnipotentis commoretur*; posterior, quod cum plena fiducia verè dicere possit Domino, *Refugium meum es Tu, Arx mea, & Deus meus in quo spero.*

Conditio hæc, seu status in se-ipso consideratus, id-ipsam est ad quod adspirabat & annitebatur DAVID, quando dicebat; *Unum petii à Jehovâ, hoc requiram; Ut habitem in Domo Jehovæ omnibus diebus vite meæ; Ut videam pulchritudinem Jehovæ, & quæram in Templo ejus.* Psal. 27. 4. Et versu sequenti rationem addens cur tanto desiderio huc tenderet, subjungit, *Quia abscondet me in Tabernaculo suo, & abscondet me in abscondito* (בְּסֻכּוֹ eodem quo hic vocabulo utens) *Tabernaculi sui, &c.* Quid enim misello homini magis absconditum quàm Altissimus ille, Sanctus & Excelsus ille, qui omni Carni inaccessibilis est? ideoque si quando DEUM nosse illoque frui volet quis, oportet alterutrum fiat: Aut debet esse Sanctus, & Separatus ab omni re profanâ, vel impurâ, aut ratione Iniquitatis oportet ut fit Cordis verè contriti & Spiritus humilitati:

D

Ita

Ita enim loquitur Sanctus & Excelsus, hoc est, Altissimus, *Habito ego in Excelso & in Sancto.* Esa. 57. vers. 15. En hæc una est Conditiō, consistens in Sanctitate & Elevatione super omnia terrena: Altera sequitur, quando addit Prophetā, *Et apud illum qui contriti & humiliati Spiritus est, ut vivificem Spiritum humiliatum, & vivificem cor contritum.* Prioris exemplum habemus in DAVIDE, qui per intima desideria, & indefessa Sanctitatis studia, tandem eō pervenit, ut à DEO reciperetur, & in abscondito Tabernaculi ejus absconderetur: Ast heic, in hoc Psalmo MOSIS, ubi agitur de toto humano genere in communi, nempe de Homine lapsō, exhibetur nobis Exemplar hominis, qui per Cordis Contritionem & Spiritus humiliationem demū eo pertingit, ut de eo dici possit *habitare se in abscondito Altissimi*, hoc est fixam habere sedem, quod plus est quā stare vel residere. Qui enim stat, ille videtur dispositus ad exeundum vel intrandū, adeoque non habet Mansionem tam fixam, ac ille qui habitat in loco. Hinc est, quod in Templo Salomonis, quod hujus DEI habitationis cum Filiis hominum, & Filiorum hominis cum DEO, Typus fuit, nemini fas erat sedere, nisi soli Regi. Atqui hic homo non dicitur solum stare aut sedere, sed habitare, seu domicilium fixum habere in abscondito Altissimi, hoc est, animo sublatum esse ad DEUM, ibique in Divinā & omni carni absconditā Essentiā fixam habere sedem. Non est nunc amplius, ubi prius erat, extra DEUM. Non est jam vita ejus instar aquæ, quæ subitō præterlabitur, quemadmodum prius; sed Vita ejus cum CHRISTO in DEO abscondita est. Col. 3. 3. Ubi nulla vicissitudo locum habet. Nec est Vita ejus amplius instar somni matutini, aut instar herbæ quæ manē floret & sub vespere marcescit & deperit: Sed Vita ejus ad illam pervenit conditionem, de qua Petrus, cū loquitur de Incorruptibili & immaculata & immarcescibili hæreditate, quæ in Cœlis parata est. 1 Pet. 1. 4.

Quod attinet Prærogativas huic Conditioni seu statui attributas, Prima earum est, quod ejusmodi homo *Commoratur in umbrā Omnipotentis.* vers. 1. Quasi diceretur, Qui ita in abscondito Altissimi habitat, ille non solum in se ipso Conditionem stabilem nactus est; sed & tutum refugium, seu Asylum, obtinuit, contra omnes ab extra insultus, idque tam de nocte quā de die. Nam quamvis obscura nox ingrueret, ipsi Omnipotens velut umbra erit sub qua latere queat. Vocabulum *וַיִּשְׁכֶּן* unum est ex Nominibus DEI, propriè exprimens vim illam, quā DEUS quicquid ei obest, contere & annihilare potest, aut etiam humiliare, quicquid se contra illum, aut eos qui se sub umbrā alarum illius receperunt, esset elaturum. Ita se DEUS Abrahamo nominavit, Gen. 17. 1. *אֵלֹהֵי אַבְרָהָם* Ego sum Deus Omnipotens, &c. Et Jacob in sua Benedictione super Josephum DEO hoc Nomen quoque tribuit. Gen. 49. 25.

Secunda hujus Conditionis Prærogativa est, quod qui in Abscondito Altissimi habitat, in veritate dicere DEO potest, *Refugium & arx mea Tu es, Deus meus in quo spero.* Aliud quid est, inquirere de Domino & faciem ejus quærere: Imō, aliud quid est sitire ad DEUM, ad DEUM vivum, & dicere, *Quando veniam & apparebo coram Deo?* prout olim factum. Et aliud eō perventum esse, ut quis Domino dicere possit, quemadmodum de hoc viro affirmatur, *Refugium meum & arx mea Tu es, Deus meus in quo spero.*

NOTA.

NOTA, quod ubicunque hoc fit, ubicunque ad hunc statum pertingit homo, tunc demum discit DEUM nosse nomine דְּיוֹן quum prius noverit eum saltem nomine דְּיוֹן Altissimi & שְׂרִי Omnipotentis: ubi inter alia absque dubio hoc quoque Myſterium latet. Quod in hoc ſtatu non ſolum omnia alia homini advenant, ſed & quod diverſa Nomina DEI in unum Nomen evadant, ſcilicet in Adorandum, Sanctum & ineffabile Nomen דְּיוֹן de quo mira dici poſſent. Hoc propriè DEI eſſentiale Nomen eſt, exprimens non proprietates aliquas DEI, ſed ipſam Eſſentiam ejus; per quod ab omnibus Creaturis, aut Eſſentiis Creatis, diſtinguitur. Et ubi omnia alia Nomina DEI per tranſpoſitionem literarum ſuarum, ſenſum mutant & prorſus aliam induunt ſignificationem; hoc ſolum Nomen דְּיוֹן, quocunque modo tranſponas illius literas, (prout duodecim modis fieri poteſt) nullum inde elicies ſenſum, niſi talem qui Indiviſæ trium ſubſiſtentiarum Eſſentiæ unicè competat. Vide Rittang. in Præf. de Feſtis Solennibus. Sign. V.

II. Secunda Pars Pſalmi (de Præclaris quæ Viro huic promittuntur) continetur verſ. 3, 4 --- 9.

3. Certè ipſe eruet Te de Laqueo Venatoris, & à Peſte pravitatum. 4. Alis ſuis teget Te, & ſub alis ejus ſecurus eris: Scutum & Clypeus Veritas ejus. 5. Non timebis à timore noctis, à ſagitta quæ volaverit per Diem. 6. A Peſte quæ in Caligine ambulat, à Perditione quæ vaſtat meridie. 7. Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextera tuâ: tibi tamen non appropinquabit. 8. Tantum oculis tuis aſpicias, & retributionem Impiorum videbis.

Hæc iterum MOSES, Vir ille DEI, qui ipſe-met propriâ experienciâ edoctrus, quid ſit habitare in abſcondito Altissimi, & in umbra Omnipotentis commorari, varia nobis Inſignia & Præclara Beneficia recenset, quibus homo tali in ſtatu, ſeu conditione, fruatur; illa velut Promiſſa DEI nomine ſtipulata proponens. Primum eſt, quod Dominus eum eruet de Laqueo Venatoris: hoc eſt, à fraude, inſidiis & ſtratagematibus eorum, qui venantur animas noſtras, eaſque in peccata libenter pertraherent; & à Peſte pravitatum מַכַּר דָּוֹת, h. e. à contagie illa quæ lapſis peccatoribus ſupervenit, quâ etiam facilè alios inſiciunt.

Secundum eſt, Quod eum Dominus ita alis ſuis teget, & ſub umbra alarum ſuarum proteget & abſcondet, quemadmodum Gallina pullos ſuos; adeo ut eandem ibi conſolationem & ſecuritatem ſit experturus, ac pulli ſub alis Gallinæ experiuntur: non enim Veritas & Fidelitas aliud quid eſt quàm Scutum & Clypeus ad propellenda inimicorum tela, undecunque veniant? verſ. 4.

Tertium, Quod etiam Dominus omnem ab eo timorem auferet rei cujuſcunque, quæ vel de Nocte, vel de Die terrere quem poſſet; utpote ſagittæ, quæ volaverit per Diem, vel Peſtis, quæ in caligine ambulat; vel Perditionis quæ meridie vaſtat. Per Sagittas volitantes de Die intelligere poſſumus manifeſtas illas, tam Satanæ quàm Mundi, igneas Tentationes, quæ homini, etiam Sanctiſſimo, quamdiu in hoc corpore mortali hæret, obveniunt. Per Peſtem, quæ in caligine ambulat, intelligi poſſunt carnales iſti vanæ gloriæ, proprii commodi, vel voluptatis affectus, qui teſtè irrepunt, & animam inſicere quærunt; & per Perdi-

tionem qui Meridie vastat, intelligi potest illa abominatio Deserti, Regimen illud sæculare quod se manifestò, tam in Ecclesiâ quam in Politia, contra DEUM effert. vers. 5. 6

Quartum est, Quod etiam si mille à sinistrâ, & decem millia à dextrâ ejus caderent; hic quidem, ab igneis de die jactis Sagittis; ille, à peste in tenebris grassante; alter, ab apertâ & publicâ Mundi perditione; quod horum malorum nihil quicquam ipsum feriet, aut attinget. Quod discrimen istud attinet, Millium ad sinistram & Decem Millium ad dextram, ad hoc sic dico: Quod inter illos qui salutem suam negligunt seque à Satanâ seduci patiuntur, decuplo plures sint qui à Dextris cadunt, quàm à Sinistris: plures inquam, qui cultum DEI aliquem profitentur, & sic aliquatenus à Mundo discedunt & à Dextris eum relinquunt; quàm qui, repudiato omni Cultu Divino, etiam cum Latrone à sinistris CHRISTI Crucifixi, omnia Sacra ludibrio habent.

Quintum, Quod dabit Dominus, quòd iste homo, qui taliter ad DEUM imò in DEUM conversus fuerit, non solum hæc mala omnia sit evasurus; sed quod & oculis suis hæc omnia ipse conspiciet, & retributionem Impiorum videbit; quomodo scilicet Mundus Impiorum, his ipsis igneis sagittis, hac ipsa in tenebris grassante peste, & ab hac ipsissima Abominatione, quæ tamdiu grassata est, tandem ipse quoque transfigetur aliquando, inficietur, & velut igne totus absorbebitur & conflagrabit. Hæc igitur sunt Præclara illa quæ heic promittuntur.

Ratio autem cur ejusmodi Homo Domino adeò cordi sit, & tanti ab eo fiat, duplex est, *Fides* & *Amor ejus*. *Fides* ejus describitur vers. 9, 10, 11, 12, 13.

9. Quoniam Tu dixisti, JEHOVA spes mea: excelsum posuisti Tabernaculum tuum. 10. Non accidet tibi malum: neque plaga appropinquabit Tabernaculo tuo: 11. Quoniam Angelis suis mandabit de Te, ut custodiant Te in omnibus viis tuis. 12. In manibus portabunt Te, ne fortè impingat ad Lapidem pes tuus. 13. Super Leonem & Basiliscum calcabis, conculcabis catulum Leonis, & Draconem.

Amor ejus indigitatur versib. seqq. 14, 15, 16.

14. Quoniam me valde amat; propterea eruam eum: exaltabo eum, quoniam agnoscit Nomen meum. 15. Invocabit me, & exaudiam eum: cum ipso ero in angustia, eruam & glorificabo eum. 16. Longitudine dierum saturabo eum, & videre faciam eum salutem meam.

Ad quamlibet harum Rationum iterum subjungitur confirmatio quædam Promissorum & Stipulationum supramemoratarum. Ad *Fidem* & fiduciam hujus Viri roborandum, ipsi renovatur Promissio, Quod nullum ipsi Malum appropinquabit, nulla Plaga attinget: eò quod Dominus Angelis suis sit mandaturus, ut ipsum custodiant, & in manibus suis gerant. Et prætereà quod ipsi potestas dabitur calcandi super Leonem & Aspidem; imò ad conculcandum juvenem Leonem & Draconem. Ad *Amorem*, seu flagrantem hujus Personæ Charitatem, de novo confirmatur iterum Promissio de eripiendo, de exaudiendo eo; de jugi cum eo commoratione, deque glorificando eo & longitudine dierum beando. In summâ, de ostendendo ei Salutem suam.

Ast, dicat quis, Præclara hæc quidem Promissâ sunt; iis facta, qui ita ad DEUM reversi erunt ut jam verè Domino dicere possint, Tu es refugium meum, Tu arx mea,

mea,

mea, Deus meus in quo spero; quique præter Fidem seu fiduciam hanc Syncero quoque in DEUM Amore ardebunt: Sed ubi sunt isti Homines? Ubi unquam repertus est ullus, quem nunquam Malum ullum tetigit, & cujus Tabernaculo nunquam Plaga appropinquavit? Vel quem Angelis ita custodiverint, ut nunquam pes ejus ad lapidem aliquem offenderit? Ubi terrarum unquam visum, Leones, Aspides & Dracones illaeso pede conculcati? Similiter præclara sunt, quæ hic iis, qui ardente DEI amore flagrabunt, Promissa sunt: Sed ubi sunt isti Homines, in quibus omnes hæ prærogativæ sint conspicuæ? Nonne affirmat Ecclesiastes cap. 2. vers. 14. tam Sapienti quàm stulto eundem eventum evenire? Et annon videmus Pestilentiarum, Bellorum & persecutionum plagas æquè fidelibus evenire, ac infidelibus? Nonne Asaph, Psal. 73. 14. (personam agens hominis qui manus in innocentia lavit) disertè affirmat se flagellari omni die, & increpationem pati singulis matutinis? Imò, nonne Apostolus Timotheo suo exerte inculcat, Quod omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur? 2 Tim. 3. 12.

Ad hoc respondeo, quæ hic MOSES, Vir DEI, innuere vult, Mysteria esse, quæ magis ad futuram quàm ad præsentem vitam pertinent. In Regno enim Christi, quando manifestam reddiderit Deus differentiam inter verè & perfectè Justos, & Injustos; inter illum qui in abscondito Dei, in Monte Sanctitatis suæ, habitat, & eum qui adhuc in Mundo peregrinatur, & nondum eò pervenit; tunc plenè & perfectè demùm, etiam in conspectu omnis carnis, completa hæc omnia videbuntur, vide Malach. c. 3. tunc revera nullum accidet iplis malum, nec plaga ulla ipsorum tabernaculo appropinquabit: tam arctè ab Angelis in omnibus viis suis custodientur, ut nusquam pedem unquam sint impacturi: Imò & tunc super Leonem & Basiliscum calcabunt, & illaeso pede catulum Leonis & ipsum Draconem prement. Nunc verò, dum adhuc in Mortali hoc Corpore hærent Sancti, quamvis eadem in ipsis promissa adimpleantur, id fit, non tam plenè & perfectè, quemadmodum fiet in Regno Christi, sed initialiter tantùm & minus perfectè. Non secundùm Carnem seu externum Hominem, sed solummodo secundùm Spiritum, seu internum Hominem. Hoc autem verum esse, ex eo liquet, quòd heic, in hoc Psalmo, non alius sit scopus, quam veram ostendere differentiam inter illos Adami Filios qui iterum ad Deum revertuntur ibique manent; & eos qui foris manent, manereque debent, usque dum ad veram Contritionem reverà conversi fuerint. Scimus autem differentiam ejusmodi non esse sumendam secundùm Carnem, sed secundùm Spiritum; non secundùm Membra corporis, quod terrestre est, sed secundùm potentias Animæ, quæ cœlestis est. Adeo ut Vir Dei nihil aliud, pro præsentia innuere voluerit, quàm quod Anima quæ ad contritionem se converti non patitur, ut sic ad Deum reverti possit unde se elongavit, continuò sub Ira Dei conclusa, & omni Carnis miseriæ obnoxia maneat. Quùm econtrà illa Anima, quæ se à Deo conteri sinit, & contrita ad Deum revertitur, in statum & conditionem transeat, qualem heic descriptam videmus; adeo ut illam (scilicet Animam) nihil earum miseriæ, quæ Carnem affligunt, tangat, vel ad damnum aut dolorem ullum inferendum ei appropinquet. Tunc enim, quocunque malo, plagâ, vel offensâ exterius impugnetur, verè cum CHRISTO, quando jam

Judas & Militum turba in procinctu erant, ut eum invaderent, dicere potest: *Ecce Princeps Mundi venit, at in me non habet quicquam: Sed ut cognoscat Mundus me diligere Patrem, & ita facere me quemadmodum precepit mihi: Surgite, eamus hinc (in occursum eorum)* Joh. 14. 31. Quicumque verò sic loqui potest, & ex indubia fide & perfecto erga DEUM amore libenter omnia, quæcunque ei evenire possent, suffert; in eo verè Promissà hæc omnia complementum suum fortiuntur. Quod autem attinet dictum illud Ecclesiastis 2. vers. 14. Ibi non agitur de homine qualis heic describitur; sed tantum de sapientibus & stultis, quoad rationem, magis vel minus industriâ humanâ exultant; quorum utrique iisdem miseriis & eventibus obnoxii sunt. Et quicumque passim Fideles nuncupantur, non ideo statim huic Homini, in hoc Psalmo descripto, sunt accensendi. Quemadmodum nec illi, quorum Asaph Psal. 73. mentionem facit: eò quod ibi tantum exprimat statum seu indolem Novitii in Israël; non verò Veterani & perfecti Israëlitzæ, qui in portu jam quiescit, quemadmodum MOSES heic facit. Et posito, quod dictum illud Pauli ad Timotheum in se includat omnis generis Fideles, tam Adultos quàm Juvenes, tam Perfectos quàm Imperfectiores; non tamen aliud quid notat ibi, quàm externas persecutiones & carnis afflictiones; quas suprà notavimus in hac Vitâ constare posse, etiam in homine cujus Animus, aut Interior Homo, in Beatissimo isto præfato statu consistit; prout suprà in ipso CHRISTO, dum adhuc in Terris esset, vidimus.

Hæcenus MOSES, Viri illius DEI, supplicem pro toto genere humano Orationem; nec non & Felicitatis istius, quâ homo ad DEUM verè conversus, & in pristinam sub umbrâ alarum Altissimi Mansionem reversus, fruitur, Descriptionem vidimus: Nunc transeamus quoque ad illustre illud ejusdem MOSES CANTICUM; quo non unius amplius Hominis, prout in proximè præcedenti Psalmo, sed totius Ecclesiæ Electorum Felicitatem in his Terris aliquando manifestandam, graphice describit: eoque nomine vocat שִׁיר לְיוֹם הַשַּׁבָּת id est, CANTICUM in Diem illius SABBATHI. Scilicet illius Magni Sabbathi, quam Domus Eliæ, nec non & omnes in Pietatis & spei melioris Mysteriis imbuti, tam Judæi quàm Christiani, sub finem Sexti Millenarii expectarunt, & quam nos etiam ex Scriptis Evangelicis edocti, cum secundo CHRISTI Adventu ad Regnum Israël restituendum & SABBATISMUM illum qui populo DEI reservatur, Introducendum, præstolamur. Quod verò hoc CANTICUM MOSEI tribuamus, facit non solùm illa Regula quam suprà ad calcem Psal. 90. notavimus; sed & rei natura & Ordo, per se, id ipsum luculenter satis indicare videntur. Quum enim MOSES is sit, qui nobis DEI nomine omnium Festorum & Sabbathorum Solennitates præscripsit; quidni & hanc quoque Septimi Millenarii Solennitatem, & Magnum istud Sabbathum, quod hic celebrandum prædicatur, illi tribuamus?

Deinde, quum certum sit, eundem hunc MOSEM non tantum Mortem populo Israelitico proposuisse, sed & Vitam & longitudinem Dierum; non tantum Maledictiones, quales ad unam omnes Populo advenire; sed & Benedictiones, quas adhuc eidem Populo, & omnibus in Semine Abrahami, id est CHRISTO, benedictis, evenire necesse est; Quidni hoc Canticum ipsi adscribamus, ubi & Vita & Beatitudines, ab ipso descriptæ, velut in tabellâ ad vitum omnes representantur!

Deni-

Denique, quum in toto hoc Quarto Libro, nulla amplius fiat mentio, neque Asaphi, neque Filiorum Corah, neque Davidis, Filii Jesse, neque Cantoris cujuscunque; sed solius MOSIS, VITI DEI, & DAVIDIS, Filii DEI & Regis gloria; necessario sequitur alterutri, vel MOSI, vel DAVIDI, seu CHRISTO, hoc CANTICUM esse adscribendum. DAVIDI autem quum non possint nec debeant omnes adscribi, eo quod Nominis ejus nulla, ante Psal. CI. fiat mentio; Tres, in prioribus contenta in ipsum minus quadrent, sequitur debere priores Cantici hujus Psalmos MOSI adscribi.

Quin & Ordo Psalmorum idem evincit, qui exacte respondet rei Naturæ, in qua MOSES ejusque Ministratio semper præcedit, deinde sequitur CHRISTUS, rei complementum & plenam perfectionem afferens: Nihil enim, teste Paulo ad Hebr. 7. vers. 19. ad perfectionem adduxit Lex; verum erat introductio ad spem meliorem per quam appropinquamus DEO, &c. quod fit demum in DAVIDE, Filio illo DEI vivi & Rege gloriæ, qui ad finem Cantici introducit.

Constat autem CANTICUM hoc Novem inter se distinctis Psalmis, seu Partibus, quarum

Prima admirandum Dei Consilium celebrat de hac ejus Providentiâ, quâ Impios pro tempore exsurgere, florere, & Terram occupare; è contra verò pios in Terrâ premi & affligi permiserit, ut tandem aliquando illos, velut infelix lolium, evelleret, & prorsus eradicaret; hos verò in Terrâ plantaret, eamque iis æternum jure hæreditario possidendam daret. Nempe Psal. XCII.

Secunda hujus Cantici Pars, Regis hujus Regni magnificentiam & Majestatem nobis celebrat, quem ipsissimum JEHOVAM nominat, & quem introducit Psalmista, Deum Patrem, de omnimoda super insurgentes in se Victoriâ laudantem, nempe Psal. XCIII.

Tertia cum sex sequentibus, sunt velut Septem Tubæ, seu voces Electorum, quarum Prior est supplicatio ad Deum, ut tandem aliquando (quandoquidem suam jam fortitudinem assumpserit, & in gloriâ sua sese manifestare incæperit, ut præcedenti Psalmo vidimus) Vindictam suam de Inimicis, qui hæcenus Terram suam polluerunt, sumat, Regnique obstacula omnia removeat. Psal. XCIV. Secunda Tuba, seu Vox Electorum, ex felici illo statu, post excisos Regni Inimicos, enata, est Exhortatio quædam ad Fratres seu Fœderis & Professionis suæ Confortes, ut Deum dignè laudent, & à Proavorum in Deserto, ad Meribam & in Massa, infidelitatis & ingratitude peccato, sibi sedulò caveant. Psal. XCV. Tertia Tuba, seu Electorum vox, ex felicissimo hujus Regni statu enata, est Exhortatio, non amplius ad Fratres propriè, sed ad omnes in universum Terræ Incolas directâ, eos quoque ad Atria Jehovæ invitans: qua de causâ Psalmus hic vocatur CANTICUM NOVUM & Populo Israëlitico hæcenus insuetum. Psal. XCVI. Quarta Tuba, seu Electorum vox, Exhortatio est adhuc latius se expandens quàm ad Terræ Continentis Incolas, quum etiam ad Insulas Maris se extendat, & vocatur in Epistolâ ad Hebræos cap. 1. vers.

vers. 6. Psalmus, *in quo denuò* (hoc est secunda vice) *Primogenitus*, id est, JESUS CHRISTUS, *in Mundum introducit*. Psal. XC VII. *Quinta* Tuba est illa, quâ iterum omnes Terræ habitabilis Incolæ, eò quod DEUS Populi sui Israëliti, & Pacti sui cum Patribus ipsorum initi, recordans, eos in Terram suam reduxerit, Regnumque inter eos restituerit, ad communem cum eis DEI Cultum invitatur. Quo nomine & hic quoque Psalmus, perinde ac P. 96. Canticum Novum vocatur. Psal. XC VIII. *Sexta* Tuba, seu vox Electorum, est, quâ Regni hujus in Israël restituti præstantia & Sanctitas, præ omnibus, quæ unquam fuere Regna, longè extolluntur, & omnibus Terræ Populis summopere commendantur. Psal. XC IX. Denique *Septima* Tuba, seu Nona & ultima Cantici Mosâici Pars, de Magno isto Septimi Millenarii Sabbatho, est velut formula quædam Laudis, à Spiritu Sancto præconcepta (prout Titulus ei præfixus להודיה evidenter infinuat) quâ Regnum hoc per totum Terrarum Orbem promulgetur, Populique omnes ad DEI omnipotentis Sacra undiquaque convocentur. Psal. C.

